

ALBERTVS MAGNVS RATISBONENSIS PRAESVL.



Albertus cognomēto Magnus in Suevia clariſſimis parentibus ex familia Bolstatēſium Anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimotertio in agro Lauingenſi natus est. Hunc cum parentes literis destinarent, breui tempore omnes alios æquales suos longè superauit. Tandem eius eruditio adeò accreuit, ut cum summis antiquis philosophis, ipſo inquam Aristotele & Varrone conferri potuerit. Totum enim literarum diuinarum & humanarum círculum emensus, omnibus alijs miraculo fuit. scripsit Dialectica, Mathematica, Physica, Ethica, Methaphysica, Medica, Magica, & Theologica (quorum ordinem Tritemius recenset) eaç⁹ adeò exquisita, ac si uni tantum operam nauasset, & cætra non attigisset. Primus etiam Latinorum in omnes Aristotelis, Euclidis, Petri Lombardi, & aliorum huiusmodi authorum libros commentaria scripsit.